DE
BERNHARDO ITALORUM REGE.

DISSERTATIO INAUGURALIS HISTORICA

QUAM

CONSENSU ET AUCTORITATE

AMPLISSIMI PHILOSOPHORUM ORDINIS

IN

ACADEMIA FRIDERICIANA HALENSI CUM VITEBERGENSI CONSOCIATA

AD

SUMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES

RITE CAPESSENDOS

UNA CUM THESIBUS A SE PROPOSITIS

DIE I. M. MAI A. D. MDCCCLXVIII.

HORA XII.

PUBLICE DEFENDET

AUCTOR

ALBERTUS HARRASS

SAXO-BORUSSUS.

ADVERSARIORUM PARTES SUSCEPERUNT

RUD. MÆNNEL, SOCIET. PHILOLOG. SOC.
HERM. KLUGE, STUD. PHIL.

HALIS SAXONUM.

FORMIS PLOETZIANIS.

E. L. DUEMMLERO

PRAECEPTORI BENEVOLENTISSIMO.

De Bernhardo Italorum rege.

Inter viros, qui a Deo delecti esse videntur ut novum quasi saeculorum ordinem novamque rerum humanarum formam instituant, quorum nomina tam firmiter omnium animis infixa haerent ut nulla unquam oblivione extingui possint, haud mediocrem sane locum obtinet Carolus Imperator Germanorum primus qui quidem cum ad gentium fere omnium res futuras ac fortunam vim maximam habuit tum Germanorum nationi ipsi nostrae vias et aperuit et munivit quibus inter populos tum omnes principatum obtineret, ita ut summo jure et ab aequalibus et a posteris „Magnus“ appellatus sit. Praeditus enim virtutibus animi ingeniique praestantissimis quidquid suscepit sese magnum semper et fortem ostendit, sive dux sive legislator sive rei publicae rector aeque excellebat, idem erat domi bellique peritissimus idem dissertissimus. Omnibus aetatis suae viris superior magnitudine ingenii eminenti qua universum rerum publicarum statum complectebatur, acumine mentis ingenti quo vel difficillimas res pernovit pernotas solvit, singulari animi vi et constantia quibus impedimenta maxima superabat, plus quadraginta annos clavum tam egregie tenuit ut et orbem rerum ab ipso gestarum gloria compleret et Francorum res ad summum fastigium perduceret. Ab omnibus enim partibus Francorum fines propagaturus postquam Carolus bellis paene continuis gentes in occidente atrocissimas ac bellicosissimas fregit regnum sibi paravit quale ab interitu magni illius imperii Romanorum iterum non exstiterat cujus finibus qui inde ab Aegidora usque ad mare mediterraneum, inde ab Oceano usque ad Albim flumen et ostia Dravi ac Savi patebant nil nisi populi alienae originis alienamque fidem profitentes affines erant. Jam igitur magnitudinis tantae regno

potitus quod gentibus et Romanorum et Germanorum fere omnibus constabat maxime illius intererat ut rerum delectu atque discrimine paullatim sublato vel eae ipsae per tot saecula sibi inimicissimae in unum quasi corpus coalescerent: quae quidem perfusio etiamsi Caroli Magni ingenio ac virtuti contigit haud ita multo post eorum qui succedebant inertia atque imbecillitate vana et irrita reddita est. Nec minoris est aestimandum quantopere Carolus de fide christiana ecclesiaque catholica meruerit et propagandis et sustentandis. Christianae enim religionis studio ferventi incensus per totam vitam id potissimum egit et pro summo quem sequeretur fine habuit ut fides orthodoxa toto in orbe terrarum auctoritate sola fieret praesertim quum regum Francorum qui praecesserant exempla bene docuissent in fidei christianae ecclesiaeque validae societate dominatus fundamentum tutissimum positum esse. Hinc evenit ut is illas valde fovens ac tuitus plurimum conferret non solum ad res cleri ecclesiaeque omnes quales medio aevo confingebantur verum etiam ad auctoritatem et potentiam quibus postea pontifices Romani potiti sunt. Tantum autem aberat ut paganos vel igni ferroque subactos Jesu Christo addiceret ut e vita rudi et barbara ad cultum humanum civilemque deduceret quare ubicunque victor discessit ecclesias et monasteria aedificari, episcopos et abbates naviter elaborare jussit ita ut mox eorum diligentia ex his perfugiis literae ac doctrinae, artes ac studia impetu acriori efflorescerent. Ne longus sim inter omnes satis constat quem St. Arnulfi posteris finem Deus destinaverit Carolum Francorum principibus omnibus superiorem admodum persecutum esse: nimirum finibus suis gentes Germanorum omnes primus uni sceptro unique fidei conjunxit, Christianam fidem ecclesiamque orthodoxam propagavit et exaggeravit, summam terrarum ad occidentem versus sitarum Francis detulit. Ea omnia si animo perpendimus quis est qui neget Carolum recte Magnum dictum esse quippe qui non solum Germanorum saluti singulariter consuluerit sortemque futuram praescripserit verum etiam de gentibus universis optime meruerit, ita ut ab eo nova quasi tempestas ordiatur orbisque terrarum novam faciem adeptus

sit. Neque vero quidquam quod Carolo regnaute accidit in tempora postera plus retulit, nullus unquam dies tanti fuit momenti quanti natalis ille Jesu Christi, quo Carolus Magnus Francorum rex diademate Caesareo coronatus Imperium Romanum occidentale quamvis per trecentos annos extinctum fuisset illustrius ac magnificentius redintegravit. Quod quidem renovatum esse non est cur mireris. Langobardorum enim regno expugnato quum Carolus Magnus civitates fere omnes obtineret quae quondam sub Romanorum imperium redactae fuerant, nonne per semet ipsum factum est, ut in eadem urbe quae per tot saecula orbis terrarum domina fuerat, ubi pontifex maximus summum ecclesiae munus vindicabat, etiam summus honor civilis titulusque i. e. Imperatoris nomen ei regi deferretur, cujus reapse rerum summa erat quamquam is sacra tantum pontificis consecratione recte institutus et a Deo ipso sancitus esse videbatur. Anno igitur 800 ex quo Carolus Magnus nova tum Romanorum acclamatione Caesaris Augusti honorem suscepit eo ipso diademate gentium animi mirum in modum excitati sunt: et erant qui non dubitarent quin Imperium Romanorum illud quod terras ad occidentem versus sitas complexum fuerat quam splendidissime renovari posset quid quod valde cogitarent de Imperio universo et Occidentali et Orientali iterum constituendo sive nuptiis cum Irene Byzantinorum Imperatrice celebrandis sive alio modo. Verumtamen quantum ecclesia Romana vindicatura erat tantum Germanorum Imperatori licebat, quocirca neque impar neque injustum judicabis quod Carolus Magnus Imperator se Christianorum omnium principem patronum ratus a Galiciae, Brittaniae regitus postulavit, ut Imperium suum ab iis cognosceretur utpote cujus principatus a Deo in ipsum effusus ab ipso ad reges christianos principesque reliquos transiret. Quo in Imperio quum res et publicae et ecclesiasticae arctissime conjunctae ita praevalerent ut negotia omnia pariter capesserent, gentium singularum natura et ingenium cederent maxime necesse erat ideoque non est mirum brevi tempore post vel in votis fuisse ut per Imperium universum quo ad unum omnes uni eidemque fidei addicti essent etiam unus quique iisdem legibus

eodemque jure regeretur.[1]) Sed quum Imperii natura principatusque ipsius notio prorsus prohibeat quominus rerum summa dividi possit fieri non potuit ut in partes singulas quibus constabat distraheretur quin potius in unum deinceps principem transferretur. Quae quum ita essent in Imperio ipso insita erant semina malorum ac turbarum intestinarum quae Caroli Magni aedificium grande ad discrimen interitumque adduxerunt quod qui succedebant Imperatori inferiores et debiliores tueri et conservare nequibant. Cujus certaminis quo ordo recens institutus cum rebus antiquitus traditis, quo jus novum cum legibus moribusque usitatis, ne plura, quo Imperii unitas cum singulorum principum causa ac studiis luctabatur, hujus inquam certaminis quale quidem apud Germanos posteros identidem deprehendemus, tanquam praeludium praebet motus ac rebellio Bernhardi Italorum regis cujus vitam ac res gestas mihi prolixius contemplandas proposui. —

Pars prima.

Satis notum est ordinatis ao. 781[2]) Italiae rebus publicis ita ut Francorum instituta propria et praecipua in Langobardorum regnum dissolutum transferrentur filio alteri matrimonio legitimo ex Hildegarda regina in lucem edito quum Romae sollemnibus paschalibus quadrimus ab Hadriano papa baptizatus mutato nomine „Pippinus“ appellaretur, a Carolo Magno fines illos quantum sub Francorum ditione essent administrandos nomenque „Langobardorum regis“ delatum esse. Jam quum filium Langobardiae rectorem constitueret quid Carolus Magnus in animo habuerit haud difficile est ad cognoscendum. Germanorum enim jure vetere nisus e quo hereditas post patris mortem ad filios omnes aequabiliter veniebat Pip-

---

[1]) cf. Agobardi archiepiscop. Lugdunens. epistolam ad Ludovicum Pium adversus legem Gundobadi, Bouquet Recueil VI, pag. 356:

> „Utinam placeret omnipotenti Deo ut sub uno piissimo rege una omnes regerentur lege!“

[2]) cf. Hegel, Geschichte der Städteverfassung von Italien, tom. II, pag. 2.

pinum cui Italiam destinaverat jam inde a pueritia cum Italorum sermone, moribus, consuetudine tum munere regis futuro assuescere studuit nec non populi subjecti animis blanditus quasi persuasit ut proprio rege usi sui juris esse viderentur. Huc accedebat quod propter situm remotum, propter gentem Germanis fere prorsus abalienatam,[1]) propter bella cum finitimis paene continua maxime opus erat rerum publicarum clavum vi haud exigua ac strenuitate forti teneri exercitumque sub duce animoso semper in promptu haberi. Neque vero spes quam in Pippino filio posuerat Carolum Magnum fefellit. Italiae autem res domesticas quum hic tam egregie ordinasset ut illi vel exaedificandae tantum vel ubi labefiebant sustinendae essent Pippini Langobardorum regis virtus ac praestantia magis elucent in regno proferendo quam componendo et instituendo. Quantopere in armis se patre dignissimum praestiterit testis est ducatus Beneventanus quem stipendiarium fecit, testis est gens Avarica quam in perpetuum suis laboribus atque expeditionibus compressit, testes sunt Graeci[2]) quorum auctoritatem ac potentiam quas in Italia retinere studebant valde minuit. Itaque quum aetatis illius scriptores consentiant Pippinum laudibus summis efferentes, „qui non solum virtute ac fortitudine cunctam Italiam suis addiderit sceptris verum etiam quod raro fieri adsoleat clementi moderatione victoriam temperaverit“[3]) sine ulla dubitatione confitendum est, si vita suppeditavisset eum Germanorum dominatum per Italiam totam descripturum Francorumque nomen gloria insigni aucturum fuisse. Praematura autem morte abreptus Pippinus Langobardorum rex „de quo viro nescias utrum virtutem in eo bellicam an sapientiae claritatem omniumque liberalium artium magis admireris peritiam[4])“ e vita 8. Id. Jul. an. 810 decessit,

---

[1]) cf. Hegel, l. c. tom. I, p. 494 ets.

[2]) cf. Theophan. chronogr. tom. I. pag. 732.
„γενομένης τῆς Ῥώμης ἀπ᾽ ἐκείνου τοῦ καιρõυ ὑπὸ τὴς ἐξουςίαν ‚τῶν Φράγγων.

[3]) cf. Pauli Warnefridi lib. de episcopis Mettensibus, Pertz, Monumenta Germaniae historica, S.S. II, pag. 265.

[4]) cf. Pauli Warnefridi. l. c.

relictis quinque filiabus et uno filio cui nomen erat Bernhardus.[1]) In matrimonium ille Bertham[2]) Guilelmi Aquitanorum rectoris filiam duxerat, nuptiali vero vinculo circiter annum 795. vel an. 796. vinctus esse videtur. Exstat enim epistola nisi fallor gratulatoria ab Alcuino Pippino regi missa, in qua perscriptis Hunnos nobiles quos hic post victoriam suam praeclaram ao. 796. de Avaris reportatam Aquasgrani misisset a Carolo Magno libertati restitutos esse, abbas ille excellentissimus sic pergit: „Utere consiliis senum, opera juvenum, laetare cum muliere adolescentiae tuae nec sint alienae participes tui.“ Sequitur igitur ao. 796. Pippinum adolescentem jam in connubio fuisse. Sepultus est Pippinus Italorum rex Veronae in aede St. Zenonis et exstat etiam nunc monumenti illius elogium tam honorificum quam splendidum.[3])

A scriptoribus compluribus in dubium vocatum est et profecto disputari licet utrum Bernhardus Pippini Langobardorum regis filius legitimo matrimonio ortus sit necne. Nil certi de hac re apud annalistas est nec non Theganus episcopus Trevirensis in libro qui est de vita Hludoici[4]) unus solus affert Bernhardum e concubina natum fuisse. Summo vero jure quum scriptori illi crimini datum sit eum multis in rebus incertum atque injustum non ad historiae fidem scripsisse suspicio non abest quin Theganus — quem nimio plus in Ludovici Pii favorem ac factionem inclinatum fuisse constat — vel praejudicio quodam vel odio captus Bernhardi res

[1]) cf. Einhardi vita Karoli, cap. 19. Pertz II, pag. 454:
„Pippinus unum filium suum Bernhardum filias autem quinque
„Adalhaidem, Atulam, Guntradam, Berthaidem ac Theoduadam
„superstites reliquit.

[2]) cf. Leibnitii annales Imperii ad an. 818. tom. I. pag. 318.

[3]) cf. Angelo Mai, Classicorum auctorum e vaticanis codicibus editorum tom. V. pag. 417.

[4]) cf. Thegan. Vita Hludowici, Pertz II, pag. 596:
„Bernhardus filius Pippini ex concubina natus.“

illegitimi ortus maculis in deterius vocaverit atque infamaverit. Ut taceam quantopere Berthae matris „reginae“ nomen legitimos natales probet, sententiam eorum qui illum legitime editum esse putent maxime probari censeo ea ratione qua Carolus Magnus Imsperator post Pippini filii mortem de Bernhardo nepote curaverit eumque gratia et auctoritate sustentaverit. Nam quum Carolus Magnus per vitam totam a se impetrare non posset ut filios suos illegitimos legitimis prorsus in aequo poneret, — sufficit si in memoriam revocamus, vel proprium ejus nothum etsi primogenitum ab omni regnorum spe exclusum fuisse — nonne conspicuum nonne ejus moribus admodum contrarium esse videtur quod Bernhardum pro Italiae rege constituit quid quod nothum in Caesaris Augusti honorem tollere studuit? Nihilo tamen minus quum argumenta alia desint quibus sententia quam modo protuli certe definiatur Thegano fides habenda est Bernhardum matrimonio justo non ortum esse. Nec manifestum quo anno Bernhardus natus sit nec de ejus pueritia vel adolescentia certi quidquam a scriptoribus aetatis illius nobis traditum est: tamen non nimis asseveratum erit primos vitae annos eum in aula Ticinensi regia degisse eademque sollerti corporis animique disciplina educatum atque edoctum esse qua Caroli Magni filii ac consanguinei institui soliti sint praesertim quum unus Langobardorum regi filius natus fuerit. Idcirco quum principes illi omnes litteris artibusque ingenuis tantopere incumberent ut vel virorum doctorum disputationibus subtilibus voluptate summa interessent, etiam Bernhardum nulla in re illis cessisse facile credideris, id quod comprobatur quia in monasterio Fuldensi cujus fama ac gloria tunc sub antistitibus doctissimis ac praestantissimis per occidentem totum manare coeperat eruditus litterisque sacris instructus est.[1]) Inde Bernhardus admodum juvenis in Italiam reversus ao. 810. Pippino patre

[1]) cf. Centuriae Magdeburgens. IX. cap. 6. pag. 268: et theologia tradebatur; nam Bernhardus filius Ludovici Imperatoris in Fuldensi coenobio in adolescentia sacras literas didicit usque ad juvenilem aetatem sed postea ad patrem in aulam remissus est ut patet ex episcola Fuldensium ad Imperatorem.“ —

mortuo una cum sororibus suis ab avo Aquasgranum accitus esse videtur[1]) ubi annis proximis animi ingeniique excelsi indiciis ejus gratiam atque amorem sibi tantopere conscivit ut Carolus Magnus Imperator spe adolescentis summa completus non dubitaret nepotem suum quamvis e concubina natus esset pro Italorum rege constituere. Discrepant inter sese annalistae distribuentes Bernhardi inaugurationem in annos singulos 810. 811. 812. 813. Ex iis unum quidem chronicon Moissiacense[2]) affert — annales enim Quedlinburgenses ad an. 810. huc referre supersedeam, Pertz III, pag. 41. — Bernhardum jam ao. 810. Italiae gubernacula obtinuisse, argumentis vero aliis adjuvari videtur, ita ut nonnulli viri docti ei potissimum fidem habendam esse proposuerint. Cui auctori si quis assentiri velit aliter non esse explicandum censeo quam etiamtum Italiae res ejusmodi fuisse ut Carolus Magnus Imperator facere non posset quin lege illa hereditaria quam ao. 806. sciverat prorsus praetermissa ac neglecta principem aliquem regium pro Italorum rectore constitueret. Illa enim lege quum statutum esset, si filiorum trium legitimorum quos progenuerat unus mortuus fuisset, ut fratres ejus superstites regnum relictum aequabiliter inter sese partirentur, nonne Carolo et Ludovico Pippini regis fratribus sperare atque etiam postulare licebat ut lex illa perficeretur Italorumque regnum juste ac rite divideretur?[3]) Quodsi legi illi difficultates quaedam atque impedimenta non obstitissent, certe dubium non erat quin Pippini fratres vel eorum leudes avidissimi nervos omnes intenturi fuissent ut obtinerent quae suo jure sibi vindicare viderentur. Quae quum ita essent forsitan evenerit, ut Carolus Magnus Imperator una via potitus qua ab omnibus molestiis se liberum fore sperabat ao. 810. Bernhardo Langobardorum regnum tradiderit vicarium. Id

---

[1]) cf. Einhardi vita Karoli Pertz II, pag. 454:
„in quibus rex pietatis suae praecipuum documentum ostendit cum „filio defuncto — neptes inter filias suas educari fecisset.“

[2]) Pertz I, pag. 309. ad an. 810.
„et ipse piissimus Karolus constituit Bernardum filium Pippini regem super Italiam in loco patris sui.“

[3]) Vid. dissertat. pag. 14. not. 2.

vero ut recte dictum sit etiam iis comprobari videtur quae sequuntur. Carolus enim Magnus Imperator animo bene complexus illum a vindiciis futuris ac petitionibus defenderet necesse esse Carolum et Ludovicum filios suos quaerere non intermisit utrum nepotem suum Italiae regem esse concederent necne. Neque vero illi ao. 811. Bernhardo Italiae regnum concedentes dissenserunt ita ut „merito" Pippino patri in Langobardiae regno succederet.[1]) Sed quamvis quae modo attuli non sine veritatis specie sint, plerique tamen scriptores consentiunt ao. 812. Bernhardum a Carolo Magno Imperatore pro Italorum rege constitutum esse, diplomatibus quibusdam certis nixi, e quibus satis apparet inde ab hoc anno Bernhardi Italorum regis initia computata esse. Sufficiat ut e. g. afferatur Muratori qui de hac quaestione prolixius disputavit, Affò, Leo.[2]) Verum quae causa fuerit cur Carolus Magnus Imperator Bernhardum vel e concubina natum in Pippini filii loco Italiae regem constituerit statim infra videbimus. Nondum autem post Pippini mortem difficultates quae ex illa lege profluxerant sublatae erant, nondum Imperatori constabat quid de Italia ageret quum casu tam infelici quam inopinato et Carolus Magnus ab angustiis omnibus molestiisque liberaretur et Bernhardi sors ac fortuna mirum in modum commutaretur. Dolor enim e Pippini regis morte perceptus totus non depositus erat quum aestate ao. 811. Carolus quoque filiorum natu maximus e vita decessit ita ut unus tantum Carolo Magno Imperatori filius legitimus superstes esset. Quo factum est ut et lex illa ao. 806. de hereditate lata fortuito recederet et quaestio quae inde ab anno 800. usque ad id temporis fere

---

[1]) cf. annal. Lobiens. ad an. 811. Pertz II, pag. 195: Dominus imperator „consensu" filiorum suorum Karoli et Ludovici Bernhardum filium Pippini regem Italiae pro patre suo restituit."

Poeta Saxo, Pertz I, pag. 264.

Hoc quoque Bernhardo regnum concesserat anno
Italicum pius Augustus: nam filius idem
Pippini merito patri successerat heres.

[2]) cf. Muratori, annali d'Italia ad an. 812. 814. 815.
Affò, storia di Parma lib. III, pag. 150.
Leo, Gesch. von Italien tom. I. pag. 253.

prorsus siluerat majore vi erumperet: videlicet quid de Imperio quod ao. 800. redintegraverat sustentando faciendum esset subtilius Carolus Magnus animo perpenderet oportebat. Enimvero primis annis postquam Carolus Magnus quippe Francorum, Germanorum, Italorum rex Caesaris Augusti honorem restituit mente satis non perceperat quae vis ac notio inesset Imperio, quod quidem ne vanum neve inane fieret, integrum maneret neque in partes quibus constabat singulas distraheretur necesse fuisse jam supra memoravimus. — Tamen Imperii universi gratia quo omnes vires omnisque potestas continebantur de jure Germanorum vetere hereditario decedere non ausus ex quo post mortem regis inter filios ejus regnum aequis portionibus dividi solebat Carolus Magnus Imperator ao. 806. uni cuique filiorum non solum eas Imperii partes quas tanquam regnum proprium[1]) postea possideret lege publica assignaverat sed etiam praescripserat, si filiorum suorum unus sine. herede populo pergrato mortuus esset, ut ejus fines inter fratres superstites aeque ac juste dividerentur.[2]) Qua lege quum Carolus Magnus Imperator filiis singulis partes fere pares de-

---

[1]) cf. Poeta Saxo, l. c. I, pag. 262.

„quae commissa prius fuerat nunc traditur illi
„In reguum „proprium“ stabili dicione regendum.“

[2]) cf. Divisio Imperii ao. 806. Pertz L.L. tom. I. pag. 141:

Non ut confuse atque inordinate aut sub totius regni denominatione jurgii vel litis controversiam eis relinquamus sed trina partitione totum regni corpus dividentes quam quisque illorum tueri vel regere debeat portionem distribuere et designare volumus. —

Si vero Karolo et Ludovico viventibus Pippinus debitum sortis humanae compleverit Karolus et Ludovicus dividant inter se regnum quod ille habuit et haec divisio tali modo fiat ut ab ingressu Italiae per Augustam civitatem accipiat Carolus Eboreiam Vercellas Papiam et inde per Padum fluvium termino currente usque ad fines Regensium et ipsam Regiam et civitatem novam atque Mutinam usque ad terminos St. Petri.

Quidquid autem a praedictis civitatibus vel comitatibus Romam eunti ad dextram jacet de praedicto regno, id est portionem quae remansit de regione Transpadana una cum ducatu Tuscano usque ad mare australe et usque ad Provinciam Ludovicus ad augmentum sui regni sortiatur.

cf. Waitz, deutsche Verfassungsgeschichte IV, pag. 554.

stinavisset — quamquam eo ut terras ipsas Francas ubi Imperii sedes ac robur erat filio natu maximo adtribuisset ideoque eum fratribus ejus aliquanto praeposuisset prohibere conatus est quominus Francorum res prorsus dilaberentur — quale tum quaesumus Imperium cogitari potuit cuinam filio aliquando tradi licuit? Sequitur igitur de Imperio quid faceret ao. 806. Carolum Magnum Imperatorem admodum incertum ac dubium fuisse quod si integrum conservari voluisset jus Germanum hereditarium tolli oportuisse. — Tum vero quum ao. 811. Carolus filiorum natu maximus diem supremum obiit difficultates omnes quae antea obstiterant subito atque inopinato expeditae erant. Unus enim solus quum Carolo Magno Imperatori filius superstes esset quid impediebat quominus Imperium per vitam ejus totam adfectatum sine ullo labore in tempus posterum propagaretur? Quodsi non erat quo unquam Carolus Magnus dolore vehementiori affectus esset quam filios duos in quibus spem maximam posuisset aetate integerrima florentes alterum post alterum brevissimo tempore vita defunctos esse pro omine tamen fausto acciperet opus erat quod Imperium ipsum fructum tot tamque cruentorum bellorum jam summo nitore posteris traditurus esset. Nonne quae Imperator non ausus erat ut Imperii saluti consuleret vel Deus ipse arbitratu suo perfecisse visus est? Huc accedebant autem causae aliae quae jamdudum valde poposcerant ne Imperium distraheretur. Anno enim 806. quum Carolus Magnus filiis suis Imperii portiones adtribueret res Francorum ad summum fastigium pervenerant. Omnes enim hostes Caroli Magni Francorumque arma pertimuerant, ubique pax intima regnabat. Sed haud ita multo post undique arma inferuntur: Dani, Graeci, Saraceni quotannis cum Francis congrediuntur. Quae quum ita essent non erat infitiandum, nisi integrum maneret Imperium, regnorum quoque unum quodque tempestatibus exteris quam vehementissimis expositum fore. Multo autem majora pericula ex intestinis inimicitiis iminebant. Neque enim oblivione extincta erant bella illa civilia atrocissima neque ex animis effluxerant scelera nefanda ac saeva quae e jure Germano ipsaque divisione nata inde a primis Francorum tempo-

ribus non modo saepissime res eorum publicas in dubium vocaverant verum etiam regibus Merovingorum ipsis perniciem interitumque struxerant. His igitur talibusque de causis maxime necessarium esse videbatur jure Germanorum hereditario sublato Imperium lege certa in aeternum sustentari ac conservari. Sed quamvis Carolus Magnus Imperator auctoritate sua solus Imperii sorti futurae consulere potuisset rem tamen gravissimam discernere non conatus in eo acquievit ut Imperium illud praeclarissimum a se ipso resuscitatum nec non casu tantum fortuito sustentatum posteris suis traditurus esset. Jam vero ubi primum de Imperio actum est, per semet apparuit Ludovicum quem Pium dicunt etiamsi unus esset heres justus legitimusque successor, ad Imperii molem obeundam ne minime quidem aptum atque idoneum esse ita ut Carolus Magnus Imperator aeque atque ejus consiliarii praestantissimi quibus solus Francorum splendor salusque una cordi essent, ad Bernhardum Pippini regis filium animos adverterent.[1]) Quo factum est, ut sub an. 812. inter Francorum nobiles duae factiones exsisterent quas quum altera Ludovici Pii studiosissima esset altera Bernhardi rebus faveret, de principatu enixe certaturas esse facile erat ad cognoscendum. Priusquam autem ad certamen quod inde ortum est diligentius tractandum accedimus haud alienum esse puto de asseclis qui ab utriusque potissimum parte steterunt quamvis pauca afferre. —

Ludovicus Pius Aquitanorum rex Caroli Magni patris moribus atque ingenio, animo ac studiis longe dissimillimus erat. „Haec enim ejus erat exercitatio, hic cotidianus ludus, haec palaestrica agonia spectante eo quo civitas in sancta doctrina et operatione clarius eniteret.“[2]) „Religiosis tantum quum operibus, orationibus scilicet, elemosinis insudaret,[3]) quum „psal-

---

[1]) Ad ea quae contendi summi ac maximi est momenti quod exstat apud Astronom. Vita Ludovici, cap. 29. Pertz II, pag. 623:

„Cui (Bernhardo) ipse maxima ut rex fieret apud patrem causa fuerat.“

Cllg. Leibnit. l. c. ad an. 814. tom I, pag. 292.

[2]) cf. Astronom. Vita Ludovic. Pertz II, pag. 622.

[3]) cf. Monach. Sangall. Pertz II, pag. 762.

modiae occupatione et lectionum assiduitate[1]) maxime gauderet, haud multum afuit quin Carolomanni patrui exemplum secutus monachum indueret.[2]) Cujus „animus quum ab ineunte aetate non nisi circa divinum cultum et sanctae ecclesiae exaltationem incitaretur,“[3]) has fuisse causas quod „Pii“ cognomen reportaverit nemo negabit, quamquam non deerant quibus ob eam ipsam erga ecclesiasticos ecclesiamque humilitatem despicabilis[4]) esset ita ut „rex-monachus“ vocitaretur.[5]) Ludovicus Pius igitur, omni animi vi ac constantia vacuus, neque in armis fortis neque in regno administrando insignis, vel ut uno verbo dicam, vitae monasticae rebusque ecclesiasticis intentior quam publicis ita ut iis quorum potissimum familiaritate ac consuetudine utebatur rerum summam fere usque permittere soleret, ad id tempus in aula Aquitaniae regia principatum adtribuerat Bigoni „primo de amicis suis“ quem etsi loco ignobili ortum ab inito Imperio non solum „supra Lutetiam comitem“ constituit, sed etiam cum filia sua nuptiarum vinculo consociavit.[6]) Aeque tum apud Ludovicum Pium Aquitanorum regem gratiosus erat Benedictus[7]) monasterii Ania-

---

[1]) cf. Thegan. Vita Ludovic. Pertz II, pag. 595.

[2]) cf. Astronom. Vita Ludovic. ibid. II, pag. 616.

[3]) ibid.

[4]) Mabillon, Acta ordinis St. Benedicti, Vita B. Alcuini, tom IV. I. pag. 156.

[5]) cf. Duchesne Ardonis Vita St. Benedicti III, pag. 388.
„unde a quibusdam „monachus“ vocitatur.“
Astronom. Vita Ludovic. l. c. II. pag. 616:
„ita ut non modo regem sed — potius eum vociferarentur „sacerdotem.“

[6]) cf. annal. Laurissens. minor. ad an. 816. Pertz I, pag. 122:
„Picco primus de amicis regis qui et filiam imperatoris duxit uxorem defunctus est.
cllg. diplom. Caroli Calvi, Baluze Capitul. tom. II. p. 1454. et Hludovici I. diplom. apud Mabill. annal. Bened. ad an. 816.

[7]) cf. Ardonis Vita St. Benedicti, l. c. 541 ets.
Ermold. Nigell. de rebus gestis Ludovici Pii, Pertz II, pag. 488:
„Hic fuit adjutor norma exemplumque magister
Quo faciente placent nunc pia castra Deo.
Moribus in sacris regnabat sacra voluntas
Quantum homini licitum est cernere, sanctus erat.

nensis abbas, vir animo quidem probus et benignus sed ad res publicas ne minime gentium propensus atque aptus. Taedio enim rerum publicarum captus jam in adolescentia palatium Aquense auramque aulicam — erat comes de Maguellone nomine Witiza — relinquere non cunctatus omnem fere vitam suam consumpsit et in monasteriis condendis et monachorum rebus ordinandis ac provehendis ita ut cum Aquitania universa tum aula regia nil nisi monachorum receptaculum esse videretur. Denique stat mihi sententia plurimi aestimanda esse auctoritatem atque arbitrium Irmengardae reginae Ludovici Pii uxoris quam ut brevi tempore post Iuditham conjugem alteram ad maritum vim singularem habuisse neque quî eum ad suam voluntatem regeret insciam fuisse asseverare nequeo. Ejusmodi igitur quum Ludovicus Pius Aquitanorum rex et consiliarii principales essent ita ut aula regia ubi monachis tantum inserviebatur ab Imperatoris palatio ubi virtus ac strenuitas vigebant omnibus fere in rebus inter sese valde discreparent eratne mirum quod omnes Francorum nobiles et laici et ecclesiastici quibus „rex-monachus“ contemptui esset in Bernhardo[1]) Pippini Langobardorum regis filio Imperii spem ac salutem ponere studuerunt? Longe autem inter illos qui tum ad Bernhardum inclinabant Adalhardus et Wala fratres eminebant inter magnos magnique ingenii viros quibus palatium Aquense mirum in modum fulgebat genere, auctoritate, virtute summi. Adalhardus „vir vitae venerabilis meritoque eximius, nobilis genere sed nobilior fide, fervens disciplina sed plenus caritate, sapiens in locutione, plenus dilectione, studiosus in lege

---

Dulcis amatus erat blandus placidusque modestus
Regula cujus erat pectore fixa sacro.
Non solum monachis sed cunctis proficiebat
Omnia, factus erat omnibus ipse pater.
Ob hoc ergo pius Caesar dilexerat ipsum
Vexerat et secum ad Francia regna simul.

[1]) Nam inter Caroli Magni posteros nemo erat cujus ratio haberi posset: etiamsi praeter Bernhardum Imperatori tres filii superstites essent, natu tamen maximus Drogo vix annum decimum egit, cf. annal. Weissemburgens. ad an. 802. 803. Pertz I, pag. 111.

divina et plenus discretione"[1]) per totam vitam inter Caroli aequalis sui familiarissimos primum semper obtinebat locum, quocum non solum vinculo consanguinitatis arto conjunctus — patrem enim habuit Bernhardum Pippini regis fratrem an legitimum non satis constat — verum etiam inde a teneris una educatus omnibusque artibus litterisque egregie institutus erat. Neque usque tamen Adalhardi animo superbo ac forti Carolus Magnus pepercit. Enimvero quum hic Desideratam conjugem primam repudiatam dimitteret, cujus matrimonii stabilitatem ille Desiderio Langobardorum regi legati fide firmaverat, inter juvenes dissensiones haud exiguae ortae sunt, ita ut Adalhardus ira regis admodum afflictus neve Hildegardae reginae novae obsequeretur, aula honoribusque aulicis — erat enim tiro palatii — libenter relictis Italiam et Carolomanuum propinpuum suum peteret: quo mortuo circiter annum vitae vigesimum in monachorum Corbeiensium coetum aggregatus mox abbatis dignitate ornatus est. Reconciliatus autem posthac in gratiam atque amorem Caroli Magni inter omnes qui rebus publicis intererant, virtute, auctoritate, intelligentia tantopere excellebat, ut „inter primos consiliarios primus."[2]) Italiae regnum administare ejusque regem Pippinum „ad statum reipublicae et ad religionis cultum utiliter, juste atque discrete honestius informare"[3]) juberetur. Nec Caroli Magni spem atque exspectationem frustratus est. Adalhardi enim abbatis industriae et prudentiae contigit, ut non modo Graecos Italia depelleret, Beneventanos faceret stipendiarios, verum etiam „apud illos omnes nec non maris insulas nimium promereret amoris gratiam, famam virtutis."[4]) Quid quod a domno Leone

---

[1]) cf. Jaffé, Translatio St. Vita, Bibliotheca medii aevi, init.

[2]) cf. Hincmar. Epistol. ad proceres regni pro institut. Carolom. regis cap. 12, Bouq. Rec. IX, pag. 263:

„Adalhardum senem et sapientem domni Caroli Magni Imperatoris propinquum et monasterii Corbeiae abbatem inter primos consiliarios primum in adolescentia mea vidi, cujus libellum de ordine palatii legi et scripsi."

[3]) cf. Vita Adalhard. Pertz II, pag. 525.

[4]) ibid. pag. 527.

tunc temporis Apostolico tanto familiaritatis officio susceptus est, ut neminem constiterit Francorum antea suscepisse[1]) tantamque apud papam fidem habebat, ut haec aliquando verba ille faceret: Scias, optime Francorum, si in te deceptus fuero nemini me vestratium crediturum.[2]) Ex omnibus autem qui Bernhardum sequebantur dignissimus qui commemoretur erat Wala Adalhardi senis frater juvenis „inde a puero inter tirocinia palatii liberalibus mancipatus studiis, pollens morum nobilitate ac probitate sensus.[3]) Neque vero Walae quoque superbiam et patientiam experiri Carolus Magnus Francorum rex intermisit. Relegatum enim ab aula inter infimos redigi jussit, non ut aeque atque Adalhardus poenas lueret sed quod Carolus Magnus efficaciam auspicatus ingenii adolescentem assuefacere studuit in rebus et adversis et secundis aequam semper servare mentem.[4]) Optime vero probatus quum Wala in aulam et negotia publica revertisset quidquid suscepit se tam singularem semper et fortem praebuit ut Carolus Magnus eum „omnibus qui erant in palatio venerabilis i. e. proceribus palatinis praeficeret Saxoniamque tanquam pro rege vicario gubernandam committeret.[5]) „In senatu clarior cunctis, in militia prudenti animo fortior universis“[6]) idem rerum regendarum scientissimus Wala comes apud Carolum Magnum Imperatorem tanti loci habebatur „ut nonnunquam vel ad ea quae Imperatori proprie agenda fuerant, specialius mitteretur“[7]) tanta virtute et potentia inter Francorum nobiles vigebat, „ut

---

[1]) cf. Vita Adalhard. pag. 526.

[2]) ibid.

[3]) cf. Vita Walae II, pag. 534.

[4]) ibid. pag. 535:

„Cujus Augustus efficaciam auspicatus ingenii licet consobrinus „ipsius esset patrui ejus filius decrevit humiliari cujuslibet instinctu „et redigi inter infimos non quidem fortuitu sed divino dispensante „judicio ut tenera aetas fornace tentationis tanquam aurum probaretur „quatenus edisceret adhuc juvenis non minus adversa fortiter quam „et prospera aequanimiter tolerare.“

[5]) cf. Jaffé Translatio St. Viti, l. c.

[6]) cf. Vita Adalhard. II, pag. 527.

[7]) cf. Vita Walae II, pag. 535.

in regno nullus aliud posset nisi quod ipse vellet aut mandaret"[1]) tantam vim ad res Francorum publicas adhibebat, ut „veneraretur passim secundus a Caesare quasi putares alium Joseph sceptra regni movere."[2]) Ne longus sim, ubi primum Carolus Magnus Imperator iam senescens viris quibusdam ingenio ac virtute praestantibus a se ipso in rebus publicis institutis et profectis Imperii molem commisit, Wala summo jure inter omnes principatum obtinuit quum Adalhardus frater senio Italiaque administranda tentus gravissimis tantum Imperii rebus interesse soleret. Erant autem Adalhardus abbas Corbeiensis et Wala comes non solum „carne fratres sed etiam germanissimi fide et studiis; par enim in eis erat desiderium una in eis intentio unum propositum una voluntas."[3]) Neque etiam iis a latere deerat femina quaedam nobilis et insignis, quae in palatio Aquisgranensi ad Carolum Magnum Francorumque res multum valebat, Gundradam dico fratrum illorum sexu sororem. Quae quidem virgo „nobilium nobilissima quamvis fratribus nomine dispar sed virtutibus procul dubio compar assiduitate praesens"[4]) Carolo Magno familiarissima erat „ita ut horum trium consanguineorum consilio familiari usus Imperator Augustus una secum fundabili quadratura Francorum imperium satis admodum dispositum regeret reipublicae augmentatum."[5]) Sed haec hactenus. —

Ludovicum Pium igitur Aquitanorum regem Imperii tanti talisque negotiis nequaquam parem fore haud inscius Wala Caroli Magni Imperatoris minister principalis ac potentissimus omni virium contentione nisus est ut Francorum nobiles et laicos et ecclesiasticos quantum posset pro Bernhardo Pippini Langobardorum regis filio ad suas partes traheret nec non Carolum Magnum ad sua consilia deduceret. Neque ipse repugnasse videtur Imperator[6]) sive quo magis Ludovicus Pius rex

[1]) cf. Vita Walae l. c. II, pag. 553.
[2]) ibid. pag. 535.
[3]) ibid. pag. 538.
[4]) Vita Adalhard. pag. 527.
[5]) ibid.
[6]) cf. dissertat. pag. 16, not. 1.

sibi abalienaretur eo vehementiori caritate et gratia Bernhardum prosequeretur[1]) cujus praesentia in palatio continua usus in dies animi ingeniique excelsi indiciis laetabatur sive — id quod momenti majoris est — bene intellexerat cum Ludovici Pii tum consiliariorum Aquitanorum vires ad Imperium obeundum nullo modo sufficere: qui quidem aulici tanto apud eum taedio et odio erant ut iis vel extrema intentavisse diceretur.[2]) Neque vero ultra Walae parum intererat ut Ludovicum Pium de Imperio quasi submoveret quum sibi persuasissimum esset, ab illo iis quibus tum consiliariis uteretur Imperii summam translatum iri quibuscum ut uno animo rebus Francorum publicis interesset nullo unquam pacto fieri posse pro certo habebat. Jam igitur ad consilia sua occulta exsequenda inter primos Italiae nobiles adire constituit quos facillime ad Bernhardi partes sese collocaturos et pietatem atque observantiam quas erga Pippinum patrem praebuissent in filium translaturos esse admodum sperabat. — Adalhardi igitur fratris erat ut auctoritate eximia fultus quam inter Italos tenebat nobilium animos Bernhardo propensos devinciret neque sine prospero eventu abbas Corbeiensis agitavisse videtur. Neque vero cis Alpium montes Wala desidem otiosumque se praestitit[3]), licet persuaserit aliis quibus Ludovicus rex-monachus despicabilis erat Imperium Aquitanorum regis imbecilli-

---

[1]) Affò, l. c. „Bernardo di cui prese l'avolo cura particolare tutti in lui trasferendo i paterni diritti etc.

[2]) cf. Friedr. Funck, Ludwig der Eromme pag. 240.

[3]) Ludovicum Pium inde a primordiis Imperii sui vel inter Francos partem quandam sibi admodum adversantem suspicatum esse ut comprobetur unam potissimum rem non afferre nolim quae nisi fallor scriptores plurimos atque etiam Funckium fugit. Ex iis enim quae sunt apud Astronom. Vit. Ludovic. cap. 24. Pertz II, 618:

> „Quo etiam tempore Saxonibus atque Frisonibus jus paternae „hereditatis quod sub patre ob perfidiam legaliter perdiderant impe- „ratoria restituit clementia. Imperator autem eo sibi arctius eos „vinciri ratus quo eis beneficia largiretur potiora non est spe sua „deceptus. Nam post haec easdem gentes semper sibi devotissimas „habuit“

ex iis concludendum esse puto Ludovicum Francorum fidei valde non

tate atque inertia nil nisi detrimentum capturum esse, aliis ab istius familiaribus et adulatoribus honores opes divitias praereptum iri, aliis ut Odoino proceribusque palatinis quibusdam Caroli Magni filiabus Bernhardique ut opinor sororibus amoris licentiaeque vinculo conjunctis finem omnino vitae pristinae libidinumque adfore, sine ullo dubio haud pauci erant qui Walae assentirentur periculumque ab Aquitanis imminens propulsare concupiscerent. Jam vero ut Bernhardo ad Imperium vias patefaceret nihil magis necessarium erat quam ut Ludovico Pio Aquitanorum regi ille quasi par esse videretur et jure et dignitate et opibus, ut pro rege esset priusquam manus ad diadema Caesareum porrigeret. His igitur de causis Carolum Magnum Imperatorem perpulsum esse arbitror ut Bernhardum nepotem suum quamvis e concubina natus esset pro Italorum rege constitueret. Neque occasio idonea deerat ut sine ullo labore Bernhardus ad dignitatem regiam vocaretur. Initio enim ai. 812 quum ad Imperatorem perlatum esset „Saracenos et de Hispania et de Africa navibus longis Italiam vastaturos esse [1]“ quid amplius quam ut Langobardorum regnum inde a Pippini morte rege vicario vacuum quoniam eo fortius et aequabilius regendum esse videbatur tunc Bernhardo principi unico regio qui annis vigentibus supererat administrandum traderetur? Sed quoquo modo res se haberet sive patrio tantum amore erga nepotem provectus erat sive ei summa quaeque destinaverat conventu Francorum generali Aquisgrani habito et pronunciatis quae de Italia sibi proposita essent die 4. mens. April. ai. 812 [2]) Carolus Magnus Imperator Bernhar-

---

confisum ab aliis gentibus subsidium quaesivisse. Aeque huc referenda est clementia in oppressos exhibita aeque nonnullis annis post nuptiae iterum initae cum Juditha Guelfi Bajoariorum comitis filia.

[1]) Cf. Einhardi annal. ad an. 812. Pertz I, pag. 119:

„Imperator conventu generali Aquis solemniter habito Bern„hardum filium Pippini nepotem suum Italiam misit et propter famam „classis quae et de Africa et de Hispania ad vastandam Italiam ven„tura dicebatur Walanem filium Bernhardi patruelis sui cum illo „esse jussit quoadusque rerum eventus securitatem nostris adferret.“

[2]) cf. Böhmer Reg. Caroling. pag. 67:

dum in Italiam dimisit ubi munus regium subiret et donec pax redderetur una cum eo Walam esse jussit qui adolescentem consilio rerum peritia auctoritate adjuvaret. In Walae fratris locum ao. 813. Adalhardus abbas Corbeiensis successit qui Italicarum rerum scientissimus regem regnumque diligenter tueretur [1]). Verum Italiae clavum auctumno ai. 812. ipse Bernhardus obtinuisse etiamsi ao. 813 demum titulo ac nomine q. e. „rex Italorum" ornatus esse videtur [2]). Cllg. Muratori qui fusius de hac re disputavit [3]). Jam igitur initium factum erat quomodo Bernhardus Langobardorum rex Imperialis quoque dignitatis gradum escenderet. Nonne eo quod Bernhardus a Carolo Magno Imperatore pro Italorum rege constitutus erat non solum in Pippini patris locum verum etiam in ejus jura et vindicias suffectus esse visus est nonne nisi jure plenissimo tamen honoribus dignitate opibus Ludovico Pio Aquitanorum regi haud dispar exstitit?

Tum vero praeterquam quod Bernhardus Italorum rex sibi ipse optimatium animos gratiamque consciscere posset astute cautum esse arbitratus est Wala ne Ludovico Pio suspiciorum quid incideret [4]) de Bernhardo vel majora agitari

---

„812. 4. April. Aquisgrani palatio. Ostern. Sendet Bernhard „nach Italien."

[1]) cf. Jaffé Translatio St. Viti, l. c.:

„Sed jam dicto abbati illo in tempore commissa erat cura „maxima videlicet ut regnum Langobardorum gubernare deberet do- „nec filius Pippini Bernhardus nomine cresceret. Nam ipse Pippinus „Karoli regis filius ante triennii tempus obierat. (810. 8. Jul. itaque regni Langobardorum administratio Adalhardo ao. 813. commissa esse videtur.)"

[2]) cf. annal. Laurissens. min. ad an. 812. Pertz I, pag. 121:

„Bernardus filius Pippini fratris Hludoici filii Karoli magni im- „peratoris constituitur pro patre suo in regnum Italiae".

annal. Xantens. ad an. 812. Pertz II, pag. 224:

„Dedit Karolus imperator filio filii sui Bernhardo filio Pippini „regis regnum Langobardorum."

[3]) cf. Muratori antiquitat. Italicar. dissertat. 10.

[4]) Haud scio an haec fuerit causa praecipua quod Bernhardus vere ineunte an. 812. in Italiam missus, anni ejusdem auctumno rerum pse Italicarum potitus, ao. 813. denique „publice" vel ut nostro ser-

neve forte Carolo Magno Imperatori continua praeoccupatus Bernhardo nimis faveret. Nihilosecius tamen quamvis omnia a Wala comite furtim ac tecte agerentur Lucovicum Pium ejusque consiliarios non praeterierunt. Quo factum est etiamsi Ludovico Pio ipsi haud ita displicuisset dignitate Caesarea dura gravique abire vitamque suam in studiis monasticis consumere, ut ei ab aulicis Aquitanicis in iram stomachumque rapto haud difficile persuaderetur, neutiquam a Wala notho nothi cujusdam gratia eam ignominiam id nefas permittendum contra omnibus utique viribus sibi intendendum esse ut defendendo et vindicando quae sui juris essent sui ipsius aeque ac liberorum suorum quos genuerat legitimorum rationem haberet. Vehementissime autem Irmengarda regina Ludovici Pii uxor malis artibus illis excanduit quae cum Imperatricis sibi splendorem et auctoritatem tum filiis suis spes omnes dirimerent. Itaque odio inexpiabili et implacabili suscepto et in Walam ejusque asseclas et ut fere semper fieri solet in ipsum Bernhardum Italorum regem quamvis fontem innocentem Irmengarda regina certe Ludovicum Pium conjugem erga adversarios in dies inflammare non destitit quin etiam eo usque perducta est ut illis a rebus Francorum publicis remotis ac valde prostratis hunc luminibus et vita privaret. Enimvero Walae ejusque fratribus quantumlibet Imperium sine eorum opera omnino esse non posset non prius contigit ut auctoritatem in palatio honoresque amissos recuperarent quam Irmengarda et consiliarii illi Aquitanae factionis diem supremum obierunt. Jamjam nuntio allato machinarum quae Aquisgrani contra Ludovicum fabricabantur confestim Gerricus[1])

---

monc utar „offiziell" rex appellatus esse videtur ex quo quaestione de Imperii successione decisa Ludovico facultas sublata erat suspiciones de Bernhardo habendi.

[1]) cf. Astronom. Vita Ludovic. Pertz II, pag. 617:

„Per idem autem tempus mortuo jam pridem Pippino Italiae „rege nuperrime autem Karolo itidem fratre res humanas relinquente „spes universitatis potiundae in eum adsurgebat. Misso enim pro „quibusdam necessariis patrem consulendis Gerrico capis praelato „cum in palatio moraretur praestolans perlatorum responsum moni-

vir nobilis capis praelatus causa interposita „pro quibusdam necessariis patrem consulendum esse" Aquas missus est qui observaret quomodo Ludovici Pii Aquitanorum regis res sese haberent. Neque vero eas prosperas fuisse vel inde apparet quod Ludovicus valde admonetur ut extemplo ad palatium Aquense proficiscatur videlicet ut promptus paratusque sit si pater e vita decesserit ad vim petitionibus suis addendam. Dum consiliarii fere omnes huic Gerrici mandato assentiuntur Ludovicus Pius ipse animo complexus se hac imprudentia res suas plane periclitaturum vel perditurum esse quid eveniret n Aquitania opperiundi consilium cepit ne Caroli Magni patris sibi non ita benevoli diffidentiam et indignationem moveret: nec temere egit. Interea nihil negligitur in Walam partesque adversarias remedia idonea adhibere• nec non Francorum proceres sibi adjungere. Neque etiam magnum arduumque opus erat quum haud pauci essent qui Walae ministro Imperatoris principali ad arbitrium suum res publicas nimis moderanti infesti et irati sub Ludovico Pio plus sibi auctoritatis sperarent. Denique initio ai. 813. ad hoc discrimen gravissimum perventum est. Vitae enim finem adpropinquantem sentiens Carolus Magnus Imperator omnes qui erant a consiliis intimis convocavit [1]) quibuscum consultaret quae in posterum fieri vellet. Ne Francorum res publicae ad interitum adducerentur [2]) Imperium uno tenore integrum sustentandum

---

„tus est tam a Francis quamque a Germanis ut ad patrem rex ve-
„niret eique propter adsisteret videri sibi dicentes quod pater cum
„jam in senilem vergeret aetatem et acerbe ferret liberorum infortu-
„natam defectionem citam illius haec portenderent corpoream soluti-
„onem. Quod Gerricus cum regi rex vero consiliariis retulisset qui-
„busdam vel pene omnibus visum est salubre suggestum. Sed rex
„altiori consilio ne forte per hoc patrem suspectum redderet agere
„distulit".

[1]) cf. Ermold. Nigell. II, v. 4. Pertz II, pag. 478:
„Concilium revocat ad sua tecta novum."
ibid, v. 29. 30. pag. 479.:
„Vos mihi consilium fido de pectore Franci
„Dicite nos promte mox peragamus idem."

[2]) cf. Astronom. Ludovic. II, pag. 617:

esse quum omnes qui concilio intererant admodum consentirent jam quaestio orta est quinam aliquando Caroli Magni loco Caesaris Augusti dignitatem obtineret. At quamquam non dubium esse videbatur quin Ludovicus Pius Aquitanorum rex unus solus jus potestatemque haberet in Imperio succedendi Wala tamen jam tempus peropportunum advenisse existimavit ut pro Bernhardo Italorum rege verba faceret. Ut Imperium recte ordinateque sustineretur — sic forsitan dixerit Wala — non modo jus ortus sed etiam necessitudinis jus animadvertendum esse, non solum qui legitime natus esset dignum videri qui succederet sed qui animum virilem ac fortem praeberet[1]. Saepius ultra apud ipsos Francos accidisse ut jus successionis legitimae graviori necessitudinis juri cessisset, cui quidem sententiae argumento esse Pippinum, regiae stirpis principem quid quod vel ipsum Carolum Magnum Imperatorem! Ne Francorum res perturbarentur hunc necessitudine dura coactum nepotes de finibus pepulisse illum regi legitimo diadema abstulisse. Quid igitur mirum esse quid inauditum dum maxime opus sit si Bernhardo quoque Italorum regi summus honos deferatur? Ludovicum enim Monachum cujus vires usque ad id temporis ne regnum quidem Aquitanorum vicarium sustinuerint Imperii molestiis ac laboribus nequaquam parem fore, contra Bernhardum admodum juvenem haud dubie ita institutum iri ut Caroli Magni vestigia et exemplar secutus non solum integrum defensurus sit Imperium sed etiam consilia omnia quae Imperator adfectata inceperit ad finem prosperum persecuturus. Ludovicum Pium Germanis prorsus abalienatum esse Bernhardum in Germania educatum novissimos vitae annos assidue in palatio Aquensi degisse, illum ab Imperii administratione consiliarios suos imperitos non exclusurum esse a Bernhardo rerum publicarum ordinem non commutatum iri. Quid vero est, inquit

„ne aut externis quateretur procellis aut intestinis vexaretur „scissionibus."

[1]) cf. Waitz Deutsche Verfassungsgeschichte IV, pag. 241. 242.

Wala, quod obstet Bernhardo? An labecula quod e concubina natus sit? Nonne Carolus qui dicitur Martel aeque atque ille matrimonio illegitimo ortus rerum publicarum potitus est cui summa sane gratia a Francis debetur? Nonne Bernhardus ex quo Italiae sellam regiam occupavit pro rege justo habendus nonne quasi sancitus est? Nonne idem qui in patris locum successit etiam in jura paterna substitutus esse videtur? Quisnam si Pippino Langobardorum regi vita suppeditaverit Imperium suscepturus fuit? Ecquis futurum fuisse negabit ut a Pippino patre Bernhardus subrogatus sit? Quis denique obtinet Romam? Sed quamvis Wala pro Bernhardo Italorum rege eloquenter et diserte diceret difficultates atque impedimenta quae obstabant nullo modo superari poterant. Universus enim clerus ille Francorum nobilissimus quam acerrime urgere et instare debebat ne Imperium nisi in principem legitime editum deferretur. Nimirum etiamsi inde a Francorum temporibus primis principes illegitimi legitimis quodammodo in aequo fuerant quia leges et ad successionem et ad hereditatem admodum incertae dubiaeque erant tamen sub Carolingorum regibus ecclesiae auctoritas mirum in modum aucta sub ipso Carolo Magno adeo creverat ut annis his ipsis ut videbimus uno impetu illegitimitatis causam perfringere conaretur: unde colligas quae hoc temporis articulo clerus ille de successionis ordine senserit. Summo igitur jure ut ecclesiam sanctam ab ignominia maxime nefaria defenderet quanta poterat constantia intercedere debebat ne quisquam princeps e concubina natus rerum Francorum publicarum potiretur nedum pro regum omnium rege constitutus diadema Caesareum adipisceretur quod quidem vel a Deo ipso institutum et sancitum esse affirmabatur. Quanta inter christianos offensio ortura erat si thori legitimi proles notho cuidam posthabita esset eaque ut videbatur sine ulla probabili causa, quae rerum omnium perversio inde efflueret quotquot Imperio ipsi pericula inde imminerent necesse erat! Quae quum ita essent non erat mirum quod vel hac una de causa Ludovicus Pius Aquitanorum rex qui quasi legitimitatem et jus aequum repraesentaret de Bernhardo Italorum rege in quo civi-

tatum spes Imperiique salus positae essent victoriam quandam reportavit vel si libet in majorem Dei Ecclesiaeque gloriam res publicae inferiores evaserunt. — Itaque natalium jus ex auctoritate cleri qua major ad Carolum Magnum Imperatorem non valebat Bernhardum ab Imperii gubernaculis omnino exclusit sed ne idem quidem necessitudinis quod Wala potissimum interponebat respiciendum esse videbatur. Ut taceam quam periculosum fuerit patruo fratris filium natu longe minorem praelatum esse etiamsi par utriusque fuerit jus ac rerum condicio ea ipsa Imperii salus necessitudine absoluta postulavit ut Ludovicus Pius Aquitanorum rex in Imperio succederet. Qui quidem jam sponte sua Bernhardo Italiam cesserat; quodsi ducatum Tuscanum terrasque adjacentes sibi e divisionis lege illa ao. 806 lata debitas insuper deperdidisset ita ut exiguis Aquitaniae finibus contineretur facillimum erat ad cognoscendum fideles ejus avidissimos utpote aegre passos quod honores divitiasque sibi injuste atque inopinato direptae essent, Ludovicum Pium regem vel invitum concitaturos esse ut seditionem levaret. Sed utcunque res ceciderunt ne Imperium ad interitum adduceretur bellum civile et intestinum utique vitandum esse omnium qui erant a consiliis sententiae in unum congruerunt. Jam vero quum in contentione sententiarum adversarii nimis pervincerent Wala maximo dolore atque animo reluctanti de consiliis quae Bernhardi gratia adfectaret sibi desistendum esse bene cognovit. Quocirca quum ad extremum Einhardus[1]) abbas ille notissimus coenobii Seligenstadensis in concilio Ludovici Pii rebus maximum momentum afferret Carolus Magnus Imperator filium suum Lu-

---

[1]) cf. Ermold. Nigell. l. c. II, v. 31. pag. 479:
„Tunc Heinardus erat Caroli dilectus amore
„Ingenioque sagax et bonitate vigens.
„Hic cadit ante pedes vestigia basiat alma
„Doctus cousiliis incipit iste prior:
v. 54: „Filius Alme tibi praedulcis moribus exstat
„Pro meritis qui quit regna tenere tua.
„Hunc petimus cuncti majorque minorque popellus
„Hunc petit aecclesia Christus et ipse favet.“

dovicum Pium Aquitanorum regem nominis ac dignitatis imperialis heredem designavit quamquam sibi temperare non potuit ut Bernhardo nepoti Italiae regnum confirmaret regemque eum appellari juberet[1]. His ita constitutis scena prima ut ita dicam finita erat quî Imperium sustentari gentiumque unitas conservari posset. Quam rationem Italia ad Imperium habuisset haberet in posterum, quo loco qua condicione Pippinus pater Langobardorum rex ad Carolum Magnum Imperatorem fuisset iisdem etiam Bernhardus filius ad Ludovicum Pium Imperatorem futurum esse deberet: quare tantum aberat ut hic sui juris et potestatis fieri posset ut inter fideles Ludovici Pii Imperatoris novi esset primus. Quae in concilio Francorum nobilium constituta erant aestate ai. 813. extrema conventu generali Aquisgrani habito promulgata sunt, deinde consensu optimatium et laicorum et ecclesiasticorum ad unum omnium die 11. mens. Septembr. Ludovicus Pius Aquitanorum rex ex Aquitania arcessitus sollemniter in aede St. Mariae coronatus est. De integro officiis quae munus a Deo assignatum ferret in animum revocatis Carolus Magnus Imperator filium suum summopere cohortatus est[2] ut rerum publicarum

---

[1]) cf. Einhard. annal. ad an. 813. Pertz I, pag. 200:

„Bernhardumque nepotem suum filium Pippini filii sui Italiae „praefecit et regem appellari jussit."

Jaffé Translatio St. Viti, l. c.

„Factum est autem postquam praefatus puer crevit accepit ei „uxorem et constituit secundum jussionem principis super omne „regnum."

Böhmer Regest. Caroling. l. c.

„Aquisgrani palatio. August od. September. Allgemeiner Reichs„convent: ernennt Ludwig zum Kaiser, Bernhard zum König von „Italien."

[2]) cf. Thegan. Vita Ludovic. l. c. II, pag. 591:

„locutus est ad filium suum coram omni multitudine ponti„ficum et optimatum suorum ammonens eum inprimis omnipotentem „Deum diligere hac timere ejus praecepta servare in omnibus aeccle„sias Dei gubernare et defendere a pravis hominibus. Sororibus suis „et fratribus qui erant natu minores et nepotibus et omnibus pro„pinquis suis indefficientem misericordiam semper ostendere praecepit. „Deinde sacerdotes honorare ut patres populum diligere ut filios su-

aeque atque ecclesiae saluti semper indulgeret ut populo tanquam pater ac patronus consuleret ut in fratres natu minores sororesque in Bernhardum nepotem neptesque propenso usque animo esset: quae quidem simul ac Ludovicus Pius voce clara pollicitus est et jurejurando confirmavit omnibus qui aderant laetitia maxima exsultantibus diadema Caesaris Augusti sibi imposuit ita ut „tantae sublimitatis heres" justus in Imperio successurus esset. Jam igitur Wala Adalhardusque frater succubuerant, sed factio illa Bernhardi Italorum regis studiosissima spe non dejecta est quae in praesens secus cecidissent tempore futuro exitum meliorem habitura esse: eratne sine omni probabilitatis specie si forte fortuna Ludovicis Pius extingueretur ut Francorum oculis iterum in se conversis Bernhardus Imperio potiri vel si id nimis intentum esset ut in libertatem certe se in Italia vindicare posset? Idcirco quum plurimum interesset Bernhardi res magis magisque stabiliri consilium captum est papam adeundi cujus auctoritas momenti haud contempnendi esset. Nonne si res tempusque postularent pontifici maximo recordari licuit suo quondam edicto Pippinum Domus majorem pro Francorum rege constitutum, suis aeque auspiciis Carolum Magnum Francorum regem pro Imperatore declaratum esse? Nonne iterum fieri potuit cujus potentia cujus opes essent ut is per se jus summum auferret? Neque vero quisquam ad papam conciliandum aptior erat Adalhardo abbate[1]) antistiti Romano ut memoratum est fa-

„perbos et nequissimos homines in viam salutis coactos dirigere coe-„nobiorum consolator fuisset pauperum pater.

„Nullum ab honore suo sine causa discretionis ejecisset et „semet ipsum omni tempore coram Deo et omni populo inreprehensi-„bilem demonstrare. Postquam haec verba et alia multa coram mul-„titudine filio suo ostenderet interrogavit eum is obediens voluisset „esse praeceptis suis."

Cllg. Ermold. Nigell. II. v. 55. 70.

Einhard. Vita Karoli cap. 30.

Chronic. Moissiac., Annal. Francor. ad an. 813.

Nith. I. cap. 2.

[1]) cf. Jaffé Translat. St. Viti, l. c.

„His ita gestis perrexit Romam non solum orationis causa sed

miliaritate magna addicto neque ullum tempus opportunius esse videbatur eo ipso praesenti quo pontifex maximus Ludovici Pii Imperatoris coronationem in contumeliam quandam acceperat. Etenim — id quod nemo ignorat — ut se ab impetu Langobardorum defenderent et una jugum Imperatorum Graecorum molestum excuterent pontifices Romani ad Francorum reges fortes ac potentes confugerant quorum auxilio liberati semper cum iis societatis atque amicitiae foedus tuiti erant donec his annis extremis quibus Carolus Magnus Imperium obtinebat vinculum artum quod per tot decennia sellam regiam curiamque St. Petri consociaverat sensim labefactatum discindi videbatur. Enimvero praeterquam quod jam antea moleste latum erat ab Italorum regibus qui se omnium in Italia bonorum dominos legitimos gerebant latifundiis ecclesiae Romanae non temperatum esse Leo III. pontifex maximus qui de morte papae superioris violenta maxime suspectus Roma Caroli Magni ditioni subacta sibi et criminis objecti purgationem et apicem pontificalem redemerat maximopere in eo claboraverat ut Francorum dominatu perinde atque antea Byzantino paullatim sublato magis liberum sòlutumque rerum statum adipisceretur quin etiam Francos auctoritati suae subjiceret. Itaque quum ao. 800. Caroli Magni capiti Caesaris Augusti diadema imposuisset Imperium ipsum nisi per pontificis summi manus non recte institutum esse videri voluerat: unde in oculis est quanta tum Leo III. ira exarserit ex quo in Ludovici Pii coronatione a Carolo Magno Imperatore prorsus neglectus et praetermissus animo perceperat omnem spem ac consilia quae adfectavisset ad irritum redacta esse. Itaque in hac papae Romani indignatione inniti non ineptum esse videbatur. Nec minus Italorum nobiles Bernhardo regi obligare Adalhardus abbas Corbeiensis destitit: haud scio an huc referendae sint nuptiae Bernhardi cum Cunigunda regina initae quae in hunc annum cadunt. Sunt qui putent Bernhardi uxorem cujus nomen Mabillonis[1]) curae debemus

„etiam ut cum venerabili viro Leone papa conferret de necessitate „regia et plebis."

[1]) cf. Mabillon, acta ordinis St. Benedicti II, pag. 740:

comitissam Francorum aliquam fuisse sed nullis argumentis sententiam suam probant: item juvat — id quod jam Muratori bene adnotavit — si illam e familia Italorum nobili et potenti natam fuisse credimus, quod quidem ut pro re verisimiliori habeam eo adducor quia Adalhardus in nuptiis conficiendis versatus esse traditur certis verbis q. s. „accepit ei uxorem“ cf. dissertat. pag. 30. qui regis tutor nil potius respiciebat quam ut alumni sui res ut maxime poterat inter Italorum proceres fulcire studebat. Huc accedit quod Cunigunda regina assidue in Italia morata etiamtunc Langobardorum regnum non deseruisse videtur quum Pippinus filius unicus quem ibi pepererat Italia relicta in Gallia manebat. Verumtamen dum Bernhardus ab Adalhardo „secundum jussionêm Caroli Magni Imperatoris super omne regnum constituitur „Ludovicus Pius Coimperator paucis diebus post quam sollemniter coronatus est Aquis in Aquitaniam rediit. Non commotus patris senio ac morte ut videbatur proxime instanti non necessitate quadam sub Caroli Magni oculis Imperii itinera ut ita dicam sublimius cognoscendi, non ansa ultimum opportune data sibi fortasse Walae gratiam benevolentiam adjumentum adjungendi Ludovicus Pius a se impetraverat ut Aquis diutius moraretur: nimis enim contraria erant vitae ratio atque ingenium palatii ejus animo moribus studiis quam ut Ludovicus „Monachus“ bene et commode ibi se haberet. Non ideo abnuerim jam tum Ludovico Piissimo constitisse inter initia sui ipsius Imperii vitam illam libidinosam moresque laxos sibi penitus extinguenda esse. Laeti advenientem exceperunt Irmengarda regina Bigo Witiza ceteri consiliarii quo-

---

Affò, storia di Parma I, pag. 283:

„.... Ideo ego in Dei nomine Cunicunda relicta quondam „Bernardi inclite regis cogitans pro mercedem et remedium anime „seniori meo Bernardi vel mea seu filio meo Pippino. Actum in Parma „civitas regnantibus dominis nostris Hludovico et Hlutario Imperatoribus anno vigesimo-secundo et sexto decimo, septimo decimo Kal. „Julias indictione tertia decima.

„Sign. † m. Cunicunde qui hanc cartola tradicionis fieri roga„vit et manibus suis signum crucis fecit et testibus obtulit roborandum.“

rum spes et consilia praeter omnium exspectationem prospere evenerant. Verum quantocunque tum gaudio eferebantur extemplo scrupuli novi acerbissimi iis injecti sunt ut quamdiu Wala comes rebus Francorum publicis praeesset de tempore futuro nebulas non esse delapsas. Nam quaecunque ad id tempus acciderant quum magno impedimento esse viderentur quominus Ludovicus Pius et Wala concordarent sollicitudines nequaquam vanae erant ne hic jam dudum artes malas meditatus [1]) nil nisi Caroli Magni mortem exspectaret ut seditione in palatio mota arma adversus illum caperet. Timor atque odium resuscitata in dies augentur nulla alia via patere videtur nisi ut sine mora ad Caròli Magni Imperatoris mortem Wala de principatu dejiciatur dejectus prorsus perfringatur. Quodsi initio Ludovicus Pius ex adhortationibus patris ne Imperii gubernacula permutaret neve iis qui tum rebus publicis egregie fungebantur administrationem detraheret aulicorum Aquitanorum consiliis obsequi aliquamdiu cunctatus est mox tamen quoniam animi quam maxime imbecillis et inconstantis erat et in Walam ejusque fratres et in omnes qui ludibrio cavillationibus machinis clandestinis iram irritaverant odio ulciscendique cupiditate admodum inflammatus est. Sed ut ad omnes rerum eventus paratus esset in diem St. Mariae purificatae ai. 814. qui insequebatur fideles suos Tedoadum ad urbem convocavit [2]) ubi hibernaturus esset. Quibus compertis Aquisgrani inter proceres palatinos perturbatio haud exigua orta est: interea autem dum hi fere omnes Walae exemplum aemulari constituunt cujus ad arbitrium se accommodare solebant, dum Walae ipsi persuadetur vel armis a

---

[1]) cf. Astronom. Vita Ludovic. Pertz II, pag. 618:
„Timebatur enim quam maxime Wala summi apud Karolum „imperatorem habitus loci ne forte aliquid sinistri contra imperatorem „moliretur."

[2]) cf. Einhard. annal. ad. an. 814. Pertz I, pag. 201:
„Cujus rei nuncium cum Hludowicus filius ejus in Aquitania „apud Tedoadum villam ubi et ipse tunc hibernabat plurimis deferen„tibus accepisset tricesimo postquam id acciderat die Aquasgrani ve„nit summoque omnium Francorum consensu ac favore successit."
cf. Ermold. Nigell. II, v. 89 et Astronom. Vita Ludovic. II, pag. 618.

Ludovico Pio obsequium ac deditionem expetitum iri ideoque animo fluctuat quid agat die 28. mens. Januar. ai. 814. Carolus Magnus Imperator postquam per totum fere semisaeculum principatum in orbe terrarum manu fortissima tenuit senio morboque confectus e vita discessit.

VITA.

Natus ego sum Albertus Eduardus Harrass Visenae Saxonum Cal. Mai. anni h. s. MDCCCXXXXII, patre Christiano Friderico mercatore matre Amalia e gente Reinstein. Fidem profiteor evangelicam. Inde ab infante usque ad id tempus semper infirma atque etiam aegra valetudine eram ut saepissime in vitae discrimine versatus nonnisi parentum diligentia singulari reviviscerem. Sextum annum agens febri purpurea ac morbillis vix superatis nutricis incuria et negligentia de integro morbo periculosissimo affectus sum ita ut per annos qui sequebantur quattuor fere usque auribus captus essem: quo factum est ut decimo demum aetatis anno litterarum rudimentis institui possem. Quamquam haud ita multo post in iis tantopere profeci ut alumnorum Portensium coetui adscriberer. Qua de re ubi primum maximam laetitiam cepi infandos in luctus incidi patre maturiore mihi morte erepto. Viginti annos natus maturitatis testimonio exstructus universitatem litterariam Halensem petii ubi in civium academicorum numerum receptus primum theologiae philosophiaeque studiis me dedi, inde a semestri quarto philologiae atque historiarum solis me involvi. Scholis autem per quadriennium praeceptorum Illustrissimorum hisce interfui: theologicis Ill. Tholuckii, philologicis Ill. Bernhardyi et Bergkii, philosophicis Ill. Erdmanni, aestheticis Ill. Schalleri, historicis Ill. Duemmleri et Leonis, geographicis Ill. Hertzbergi, germanicis Ill. Schadii. Maximas igitur gratias hoc loco agere liceat his viris Ill. omnibus quorum summam erga me benignitatem et singularem benevolentiam pergrata memoria semper prosequar.

SENTENTIAE CONTROVERSAE.

I.

Lotharius Ludovici Pii Imperatoris filius jam ao. 817 spem in Italia succedendi obtinuit.

II.

Bonizonem episcopum Sutriensem in Gregorii VII· pontificis maximi partem valde inclinatum fuisse contendo.

III.

Sophocl. Oed. R. v. 134 sic legendum esse censeo:
πρὸς τοῦ θανόντος τήνδε θεσπίζει τύχην.

IV.

Sophocl. Oed. R. vv. 139. 140 sic exhibendos esse censeo:

ὅστις γὰρ ἦν ἐκεῖνον ο κτανών, τάχ ἂν
κἄμαυτὸν αὐτοχειρὶ τιμωρεῖν θέλοι.